



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 104. Wormatiensis tumultus in Judæos concitatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

rios, effringuntur seræ ac postes, ex-
pugnantur ædes, irrumpitur in cubicu-
la, sedulo inquiritur in Calvini Magi-
stros, eorum uxores & liberos, ut ma-
le nec forte citra necem mulctentur.
Verum hi jam antea tumultuantium fu-
rori sese subduxerant, redituro paulo-
post Electori causæ cognitionem, ac
vindictam relinquentes.

Sæc. XVII.
A. C. 1615.

§. CIV.

*Wormatiensis tumultus in Judæos
concitatus.*

Severius longe Wormatiæ antiqua Ro-
mani Imperii urbe, Lutherani po-
tissimum cives, Judæos exagitabant.
Hi enim jam per plurimos annos im-
modicis suis usuris ad incitas usque plebem
exauriebant, unde crebræ civium
querelæ apud Spirense, Viennense &
Pragense tribunal; Mathias quoque Im-
perator novissime iteratis, severisque
interdictis hosce usurarios, eorumque
fautores coercere studuit: aurum ta-
men, & Judæorum astutia semper Cæ-
sareæ Majestatis auctoritati prævaluisse
videbatur: instant denuo cives, usuram
abrogari, atque in hanc pestem severe
animadverti a Senatu petentes: impe-
trant quoque ex Cæsareo tribunali man-
datum, vi cuius Judæi iniquas usuras a

Merc. Gal-
lob. tom. 10.
lib. 4.
Meteran. l.
35. p. 87.

F f 4

civi-

Sæc. XVII. civibus extortas restituere, intermina-
 A. C. 1615. tis etiam pœnis jubebantur. His vero
flecti nesciis, septendecim diverforum
 opificiorum Tribus habito consilio decer-
 nunt Judæos die septima Aprilis, quæ
 dies Parasceves erat, urbe esse eiicien-
 dos, quod tamen, qua de caussa nescio,
 executioni datum non est, proximo au-
 tem post Pascha die mane trecenti cir-
 citer cives, inermes quidem; palliis
 tamen tecti convenerant, decernentes,
 quod septendecim ex ipsis totius civita-
 tis nomine Judæis emigrandi manda-
 tum perferrent. Hi ergo duobus, qui
 ex Vormatiensi Judaismo præcipui erant,
 Jekoffo Longo, & Abrahamo Crasso
 significant, quod urbe, mænibusque
 Vormatiæ excedant, ita tamen, ut ex
 pretiosioribus, quantum quisque portare
 poterit, secum efferrent, quæ vero ex
 suis bonis tunc relicturi essent, ea sigilla-
 tim clausa, signataque asservarentur, il-
 lis etiam auctoritate & fide publica,
 itidem reddenda, ubi illa jure sibi de-
 beri docuerint. Ad hanc unius, qui
 professione lanio erat, privati hominis
 vocem Judæi auri secum exportandi li-
 centia erecti, grates egere singulares
 pro ea clementia, quam in medio iustæ
 severitatis cursu expectassent nunquam,
 summis tamen petebant precibus, ut
 ipsis ad egressum ex urbe spatium unius
 horæ

horæ concederetur, pro farcinis colli- Sæc. XVII.
gendis, egressis vero tuti commeatus A. C. 1615.
fides fieret publica. Horum neutrius
cum repulsam tulissent Judæi, inter la-
crimas, querelas, & ejulatus Vor-
matiam convasatis magis pretiosis ex-
cessere.

§. CV.

*Vormatiensium Judæorum Synagoga
a Lutheranis destructa.*

Dum hæc ita gerebantur, duo Con- Cont. Sleid.
sules rerum adhuc ignari in me- p. 4. fol. 255.
dium urbis forum prorupere, sciscitan-
tes, quorum auctoritate, quibusve de
caussis tempore ac more prorsus alienif-
simo hosce miseros ad tam repentinam
fugam compellerent? ad quæ verba,
qui ceterorum partes susceperat, hæc
reposuit: „nos Hebræorum usuris ex-
„carnificati sæpissime auxilium malis
„quæsvimus, Senatorias etiam & Con-
„sulares fores pulsavimus, vobis & Ju-
„dæorum Patrónis semper ad nostra
„damna & lamenta mutis: nunc ergo
„a Magistratu neglecti, ne nosmet ipsos
„negligere videamur, causam nostram
„tueri coacti sumus, atque Hebræos
„exulare jussimus, non alia auctoritate,
„quam immunitatum nostrarum, Cæ-
„saris ac Dei. Cum autem ad hoc re-

F f 5

„sponsum